

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Invenimus Messiam, Joh. 1. v. 45. Nec minus: Invenimus perruptorem, Mich. 2. v. ult. & æternam redemptionem, Heb. 9. v. 12. 1. Petr. 1. v. 3. 5.

Quodsi verò solatio hoc frui velimus, resurgendum est nobis ab operibus mortuis per veram & seriam poenitentiam. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione primâ: in his secunda mors non habet potestatem, Apoc. 20. v. 6. Impii enim etiam quidem resurgent, at in æternum opprobrium, Dan. 12. v. 2.

Quodsi verò nos per poenitentiam resurrexerimus, & ut filios Dei decet, ambulaverimus, tum caro nostra, quæ jam ob peccata est *socia crucis*, aliquando etiam erit *socia lucis*. Oculi, quos jam elevamus in montes, unde venit nobis auxilium, Ps. 121. v. 1. tum videbunt Deum à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. *Aures*, quæ jam libenter verbum Dei audiunt, ibi in æternum $\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\alpha\gamma\iota\omicron\nu$ Angelorum audient, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est o-

mnis terra gloriæ ejus, Es. 6. 3. Os, quod Dei hic laudat & celebrat, ibi eum celebrabit in æternum, & canet cum turbis multis in celo: Salus & laus, & gloria, & virtus Domino Deo nostro, Apoc. 19. v. 1. *Manus*, quæ hic pauperibus liberaliter elemosinas erogaverunt, plaudent ibi in seculum, super omnia bona, quæ Deus præparavit diligentibus. 1. Cor. 2. v. 9. *Pedes*, qui hic lætantur stare in portis Jerusalem, Ps. 122. v. 2. ibi stabunt ante thronum Dei, & servient ei die ac nocte in templo ejus, Apoc. 7. v. 15. Imò taneum ibi gaudium erit, ut omnium miseriarum hujus mundi facile oblituri simus. Et quomodo ego illud enarrare valeam, cum oculus non viderit, auris non audiverit, nec in cor hominis ascenderit? 1. Cor. 2. v. 9. Interea suspiramus cum spirituali sponsâ: Amen: Veni Domine Jesu! Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

Dominica Quasimodogeniti.

Evangelium, Iohan. 20. v. 19. --- 31.

EXORDIUM.

Postquam Propheta Jonas à balenâ deglutitus, tres dies & tres noctes in ejusdem ventre fuerat, evomuit eum rursus in aridam. Et surrexit Jonas, & abiit in Niniven, prædicans ibidem poenitentiam & remissionem peccatorum, ut Deus ipsi mandaverat, Jon. 3. v. 3.

Jonas typus Christi fuit, sicut ipse sibi applicat, cum Scribæ & Pharisei signum postularent, inquiens: Generatio mala & ad-

ultera signum quarit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ceti ventre tribus diebus & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus, Matth. 12. v. 39. 40.

Jonas erat Propheta Domini: Sic Christus Propheta ille, qui in mundum venturus est, de quo Moses prædixit. Joh. 6. v. 14. Deut. 18. v. 18.

Jonas

Jonas erat Deo inobediens, fugiebatque per mare, sed facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri. Jon. 1. v. 4. Idem accidit Christo Servatori: etsi enim respectu sui erat sanctus & justus servus Dei, Esa. 53. v. 11. in omnibus voluntatem patris sui cœlestis implens, Joh. c. 5. v. 30. Nostrum tamen loco, judicium Dei subiens, promiserat exsolvere, quod non rapuerat, Pl. 69. v. 5. Ideoque insurrexerunt in eum fluctus iræ divinæ, ut ipsemet conqueritur: Abyssus abyssum invocat, ad strepitum canalium tuorum, omnes undæ, & fluctus tui super me transferunt. Psalm. 42, 8. Imò haut secus videbatur, ac si à Deo derelictus esset, sicut clamore indicat. Matth. 17. v. 46.

Jonas ipse consilium suppeditabat, cum maris impetus invalesceret, ut mitterent se in mare, sic mare cessaturum dicens à violentiâ suâ, ut quoque factum est. Sic ipse Christus, in consilio SS. Trinitatis humanam se naturam assumpturum, & in eâ mortem passurum, simulque propitiationem facturum esse obtulit, pro totius mundi peccatis, quo maxima tempestas, & inquieti iræ divinæ fluctus sopirentur, sicut & factum. Justificati enim fide, pacem habemus cum Deo per Christum, Rom. 5. v. 1. Taliter expeditabat, ut unus moreretur homo pro populo, & non tota gens periret. Joh. 11. v. 50.

Jonas tribus diebus & tribus noctibus erat in ventre ceti: Sic quoque Christus tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ. Die enim parasceves, sive Veneris vespere, ante Solis occasum, mortuus & sepultus est: Per integrum Sabbathum quievit in sepulchro: sequente tertio die cum ipso diluculo surrexit, juxta Scripturas, 1. Cor. 15. v. 4.

Jonas continuo abiit in Ninivem, è ventre Balænæ liberatus, ad prædicandum penitentiam, ut ei mandatum à Deo erat: Sic Christus statim post resurrectionem suam, Apostolos in munere Apostolico confirmavit & ablegavit, ad prædicandum in nomine suo, penitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes. Luc. 24, 47. Sicut quoque iisdem cum in finem Spiritus Sanctus datus, & claves regni cœlorum conceditæ sunt, hisce verbis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, sicut audimus in prælecto Evangelio.

Cui absque ulteriori præloquio accingemus nos, ex eo pro instituti ratione consideraturi:

I. Ἀποστολολογίαν, sive *notitiam nostræ.*

II. Χριστολογίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegesis.

Nescio unde exordium sumam, hoc sunt hic doctrinarum necessariorum capita, inquit Chrysostomus, Caput V. Matthæi explicaturus. Sic & nos hic dicere possumus, quando uberrimam, quam hoc Evangelium suggerit, materiam consideramus. Sed compendium verborum facturi, ea duntaxat, quæ methodo nostræ inservient, proferemus, tractantes, *Notitiam nostræ*, ubi observamus

I. *Apostolorum metum*, fores enim clausæ erant, ubi discipuli congregati, idque propter metum Judæorum.

Nondum Apostoli obliti erant, quid Christo acciderat, in flagellatione, coronatione & crucifixione, ideò quæ emadmodum Piscator ictus sapit, ut in Proverbio est, ita &

Y sibi